

Tiburtini versus Pompeiani : CIL IV 4966-4973

Autor(en): **Lieberg, Godo**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum : schweizerische Zeitschrift für klassische Altertumswissenschaft = Revue suisse pour l'étude de l'antiquité classique = Rivista svizzera di filologia classica**

Band (Jahr): **62 (2005)**

Heft 1

PDF erstellt am: **06.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-47932>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Tiburtini versus Pompeiani

CIL IV 4966–4973

scripsit Godo Lieberg Bochumensis

- 4966 Quid f]it? Vi me, oculus, posquam deduxstis in ignem,
no]n ob vim vestreis largificatis geneis.
Ust]o non possunt lacrumae restinguere flam(m)am, TIBURTINUS
hui]c os incendunt tabificantque animum. EPOESE
- 4967 5 Iamque omn]es veicinei incendia participantur,
sei faciam], flammam tradere utei liceat.
- 4968 Nocti]bus perv[igilans totis ego propter a]morem,
se]i detur deiv[am *vincere posse meam*¹,
congl]acio s[ub sideribus, sed pectus] in aestost.
- 10 Post] huc [ivi iterum. Mi tum inire dare]t.
- 4969 Ha]n[c] ore ap[ellavi parvo. Muta remansit.
Me nunc as]sumat aut ea va[na fuit.
Magni nobis] sumpti opus est, a[liquando ut amem illam
n]udam aut ei [n]udae [dulcia basia dem.
- 4970 Nil mihi] habere aiunt Eum[am totumque locare.
- 16 Quid tum? [plus a]deo condere uti liceat.
- 4971 Sei quid amor valeat nostei, sei te hominem scis,
commiseresce mei, da veniam ut veniam.
flos Veneris, mihi de[s *facilem te in mea vota.*
- 19a [Tum gaudebimus hic corporibus cupidis².
- 4972 Caesia, sei m[ultos vitae tibi Iuppiter annos.
sei parvom p[osthac temporis addiderit,
es, bibe, lude l[ubens, non semper *amore fruemur*
23 nec semper qu[imus *carpere delicias*³.
- 4973 Solus amare v[aleat, qui scit dare multa puellae.
multa opus sunt, s[ei quis flectere vult dominam.
quod nescire dare [ei poenas diu saepe fatendum.
- 27 [et ego poenas do, non mihi munera sunt⁴.

1 Verba scriptura cursiva scripta conieci.

2 Hic pentameter pro omisso exempli gratia a me substitutus est.

3 23a *Verbis supplicibus nil assequor. Munera habere*
vult, quae aemulus det. Funditus is pereat.

Hoc distichon vel simile post versum 23^{um} fortasse a poeta scriptum a scriba omissum est.

4 Hic pentameter pro omisso exempli gratia a me substitutus est.

Anno 1883° Tiburtini versus Pompeis inventi a Sogliano primum editi sunt⁵. Nunc in Museo Archaeologico Neapolitano asservantur. Vir doctus Augustus Mau eos volumine quarto *Corporis Inscriptionum Latinarum* annotavit et edidit. Inscripti sunt, ut eius verbis utar (p. 566), «in theatri minoris pariete occidentali extrinsecus inter portas scaenae et postscaenii, in tectorio gilvo secundi qui dicitur stili, quod quin statim post exstructum theatrum aetate Sullana inter annos octogesimum et septuagesimum quintum factum sit, vix dubium est». Theatrum minus odeum fuisse videtur, quo certamina musica ponebantur.

Post Mau Tiburtini versus a multis aliis quoque viris doctis examinati et explicati sunt, in quorum numero imprimis haberi debent Vincentius Tandoi et Alfredus Morelli. Tandoi commentationes suas in Commentariis *Quaderni dell'Associazione Italiana di Cultura Classica* inscriptis annis 1981 et 1982–1983 edidit. Post eius mortem hae commentationes iterum editae sunt in opere Vincenzo Tandoi, *Scritti di filologia e di storia della cultura classica* (Pisis 1992) 128–178. Morelli Tiburtini versus tractavit in libro *L'epigramma latino prima di Catullo*, Edizioni dell'Università degli Studi (Cassino 2000) 237–342. Morelli putat hos versus fortasse in Odeo ipso recitatos et postea ab admiratore quodam in parietem incisos esse (p. 252). Tiburtinum eos scripsisse verbis *Tiburtinus epoeise* (ἔποίησε) iuxta tertium versum ab eadem manu scriptis demonstratur.

Explicatio versuum

V. 1. Poeta alloquitur oculos suos, qui eum in ignem deduxerunt. *deducxstis* est syncopa pro *deduxistis*. Aspectus mulieris cuiusdam ignem amoris in corde poetae incendit. Eam aspiciens amore incensus est.

V. 2. *no]n ob vim*, id est sponte. Non inviti, o oculi, *largificatis*, scil. lacrimas, vel largimini *geneis* (genis), scilicet malis lacrimas effunditis. Lacrimas subaudiendum est.

V. 3. *Us]to*. Ustus, quod participium Courtney (*FLP*, p. 79) coniecit, dicitur de eo, qui amore arsus est. Ei lacrumae flammam amoris restinguere non possunt. Flens enim ab amore cessare non potest, quia lacrimae flammam amoris in corde ardentem tangere non possunt. Confer *CIL* IV 1898 Pompeis quoque inventum: *Quisquis amat, calidis non debet fontibus uti;/ nam nemo flammam ustus amare potest*.

V. 4. *Hui]c*, qui amore ustus est, lacrimae *os* pudore rubrum reddunt et animum tabificant, id est marcescere faciunt. Amore cor hominis consumitur. *Hui]c* coniecit Courtney, loc. cit.

V. 5–6. Omnes vicini incendii participes fiunt (*participantur*), si poeta flammam amoris eis tradit. Hic flamma amoris antea translata corporea comprehenditur.

5 *Notizie degli Scavi* (1883) 52–53.

V. 7–9. Hi versus pars cantus amatorii ante portam clausam amatae sunt, qui Graece παρακλαυσίδυρον appellatur. Amans *noctibus totis*, per totam noctem, ante hanc portam miser iacet. Pervigil est, quia animum attendit, si mulier amata portam aperiat vel si intrans eam vincere vel flectere possit. Mulier amata *deiva* (diva) appellatur. Ita in pariete tabernae cuiusdam Pompeorum legitur: *Venus es* (CIL IV 1625). Etiam Catullo Lesbia diva apparet (68,70).

conglacio. Nocte frigida amans quasi glacies fit.

pectus in aestost. Aestus, -i etiam apud Pacuvium (97 R²) invenitur. Frigori corporeo calor animi amantis opponitur. Tempore praesenti *conglacio* actio per consuetudinem saepius facta indicatur, quae a tempore praeterito ad praesens extenditur.

V. 10. *huc* hic pro eo usurpatur. Amator denuo ad domum mulieris iit. Modus coniunctivus imperfecti in *daret* est iussivus temporis praeteriti. Mulier ab amanti iussa est se benigne accipere, sed ei non satisfecit.

V. 11. *ore ... parvo*, id est modesto, haud superbe. Poeta eam humiliter allocutus est, sed ea *muta remansit*, scilicet ei non respondit. Ita significat se eum repudiare vel aspernari. Etiam *surda remansit* conicere poteram. Hac coniectura accepta mulier simulat se amantem non audivisse.

V. 12. *Me nunc assumat* vel domi suae accipiat. *assumat* est coniunctivus iussivus praesentis historici, quo res acta vivide narratur, quasi nunc fiat. Mulier igitur ab amanti iussa est se recipere. *aut ea vana fuit*. Nisi eum accepit, mendax fuit, mentita est. Versibus sequentibus certiores fimus eam re vera mentitam esse dicentem se eum accipere velle.

V. 13. *ut amem illam*. Apud Plautum et Catullum verbum amandi etiam ad coitum significandum adhibetur⁶.

Magni nobis sumpti opus est. Tiburtinus a muliere repulsus, quia pauper est, agnoscit divites solos ab ea accipi, ut secum coeant. Divites enim eam multa pecunia donare possunt, quam meretrices ab amantibus poscunt.

V. 14. Poeta nuda cum amica cubare cupit, quia maxima voluptate afficitur, cum eam nudam aspicere potest. Conferte elegiam 15^{am} libri Propertii secundi, ubi versu quinto narrat: *nudatis mecum est luctata amica papillis*, id est nudo pectore in amore cum poeta pugnavit. Deinde versu 12^o affirmat: *oculi sunt in amore duces* et versu 23^o adiungit *oculos satiemus amore*.

V. 15. Homines aiunt Eumam nihil (nullam pecuniam) mihi habere, nullam pecuniam mihi dare posse, quia omnia, quae habet, locat, fenori dat. Euma enim pecuniam fenori dare solebat. Fortasse igitur libertus erat. CIL VI 11096 enim scriptum est *a · ae Milius · A · L · EUMA*, id est Aulus Aemilius Auli Libertus Euma. Hic Euma quidam libertus est.

V. 16. Hic quaeritur verbis *quid tum* (cur tum), cur Euma omnem pecuniam fenori det. Respondetur eum id facere, ut plus condat, id est ut quam plurimam pecuniam conservare, possidere possit.

6 Cat. 8,17 et 37,15; Plaut. *Poen.* 1230.

V. 17–18. Poeta amatam alloquitur, quasi ea adsit. Denuo, ut iam antea fecisse videtur, eam orat, ut in eius domum intrare possit, ut se benigne accipiat. Id certe eam facturam esse putat, si vim amoris permagnam noverit et ita sui commiserescat. Sperat fore, ut commiserescat, cum miserescere hominis sit.

V. 19. Florem Veneris eam appellat, quia Venus ipsa esse ei videtur. Ita eam orat, ut preces suas *facilis*, oboediens, audiat.

V. 19a. Hoc pentametro a me substituto explicatur, cur poeta in cubiculum mulieris admitti cupiat.

V. 20. Hoc versu et sequentibus Tiburtinus mulieri persuadere conatur, ut se accipiat. Nomine Caesiae eam appellat. Mulier igitur liberta fuisse videtur. Pluries enim in inscriptionibus, exempli gratia *CIL* V 3519 et V 2872, Caesia nomen libertae est. Libertae autem saepe meretrices erant. Itaque etiam mulier Tiburtini meretrix fuisse potest.

V. 19–23. Sive Caesiae contigerit multos sive paucos annos vivere, mortem vitare non poterit. Propterea poeta eam exhortatur, ut edat, bibat, id est conviviis intersit, ludat libenter (*lude lubens*). Non enim semper amore fruetur. Nec semper delicias carpere poterit, quia mortalis est. Propterea in fine versus vicesimi tertii *qui/mus carpere delicias* conieci. His verbis poeta Caesiam exhortatur, ut voluptates vitae percipiat, quasi flores sint. Etiam Propertius in fine versus septuagesimi quarti elegiae tricesimae quartae libri secundi habet verba *carpere delicias*. Inde hanc iuncturam mutuatus sum, qua pentameter clauditur.

Hoc loco versus vicesimum tertium a et b supplevi, quia transitus ad versus sequentes deesse videtur. Sed etiam existimare possumus poetam transitum omisisse. A versibus enim sequentibus depromi potest mulierem exhortationem poetae praecedentem reiecisse. Nam ibi post versum decimum tertium poeta universe statuit amorem mulierum eum solum assequi posse, cui multa pecunia sit. Ita dicit: *Solus amare v[ale]t, qui scit dare multa puellae*⁷. *amare* hic non sensum amandi exprimit, sed amatorem, exempli gratia meretricis cuiusdam, esse significat. Sic in Plauti *Pseudolo* (v. 307) legimus: *det*, scilicet puellae, *det usque*, id est pecuniam, *quando nil sit*, quando nihil habet, quod *det*, *simul amare desinat*.

qui scit dare multa puellae, is est, qui reperiat multam pecuniam puellae dandam.

Versu vicesimo quinto alio modo eadem sententia ac versu praecedenti aperitur, id est, multa pecunia opus esse, si quis velit puellam sibi oboedire. Tum amatam Tiburtinus *dominam* appellat. Id postea etiam Catullus⁸ et Propertius⁹ faciunt.

Versus vicesimi sexti sententia est haec: Fatendum est hunc diu saepe poenas dare, qui non consideret multa pecunia opus esse ad meretrices flectendas.

7 Coniecit Buecheler.

8 Cat. 68,68 et 156.

9 Prop. 1,7,6; 2,3,42.

Ultimum versum vicesimum septimum ego conieci pro eo, qui in pariete omissus est. Quia textus e distichis elegiacis constat, hic pentameter scribendus erat. Videmus poetae poenas dandas esse. Puellam enim amare voluerat, quamquam pecunia ei deerat. Amor autem eius vehementior fuit, quam ut prudentia necessaria uteretur.

De coniecturis meis

Ego, etsi Tandoi in fine versus octavi *posse videre meam* coniecerat, *vincere posse meam*, cum poeta amatam non solum videre, sed ante omnia capere voluisset, malui. Tum iudicavi Tiburtinum iterum conatum esse in domum amatae intrare. Itaque initio versus decimi scripsi *Post] huc [ivi iterum* et cetera. Eo modo magis elucet, quam vehementer poeta mulierem cupiat et quanto dolore afficiatur, quod denuo a spe repellitur. Contra Tandoi non audet paucis tantum litteris relictis nisus scriptionem continuam restituere. In fine versus decimi scripsi cum hiatu post *tum: Mi tum inire dare]t*.

Versus decimum quintum et sextum cum Tiburtini rebus desperatis pro *sibi*, quod Tandoi coniecit, *mihi* scribens coniungo. Pronomen enim *sibi* impedit, quominus hi versus ad Tiburtinum attineant et cum versibus praecedentibus ac sequentibus cohaereant. Tandoi, ut videtur, ratus versus, de quibus dico, epigramma efficere *sibi* praetulit. Immo etiam totam inscriptionem seriem esse epigrammatum opinatur. Illa opinio mea quidem sententia probanda non est. Nam prima duo disticha et tertium distichon, etsi in pariete magno intervallo separata sunt, duo epigrammata esse non possunt, quia tertium distichon in se et per se comprehensibile non est, sed arte cum praecedentibus coniungitur. Nisi enim tertium distichon cum prioribus coniunxeris, non intelliges flammam amoris primo animum ardentem, postea incendium corporeum significare. Intervallum supra dictum fortasse asperitate parietis explicatur, qua scriptio impedita est. Etiam versus a septimo ad nonum, quibus poeta se ante portam amatae iacere dicit, sensum absolutum non efficiunt. Nam, qui legit, scire vult, num poetae contigerit, ut a muliere admitteretur. Propterea inducimur, ut credamus poetam postea denuo conatum esse ad amatam introire.

Apud Tandoi versus undevicesimus post verba *flos Veneris, mihi de* non continuatur, sed mancus manet, cum ego verbis *s facilem te in mea vota*, cum hiatu post *te*, sensum probabilem fingam.

Hexametrum versus vicesimi a Tandoi perperam integratum¹⁰ corrigo et pro subiecto abstracto *numen*, haud feliciter ab eo delecto, Iovis nomen praefero, quo melius actio significatur. Tum, ut alterum *tibi* vitem, pentametrum a Tandoi fictum¹¹ mutuo. Postea versus vicesimum alterum et vicesimum tertium

10 Tandoi scribit: *Cāesiā seī nūmēn vītāe prōfērāt ānnōs*. Post *sei* potius littera m quam n legenda est. Propterea non cum Tandoi *numen*, sed *multos* conieci.

11 *sei parvom p[ost]hac tempus tibi dederit,*

ita suppleo, ut ad rem, quae Tiburtino cordi est, apte pertineant. Contra Tandoi eos mancos relinquit.

Praeterea eo quoque a Tandoi differo, quod post versum vicesimum tertium distichon (23 a–b) adiungo, quo certiores fimus poetam verbis supplicibus non adeptum esse, ut a muliere exaudiretur. Hoc disticho adiuncto melius intellegimus, cur versus sequantur, quibus declaretur multa pecunia ei opus esse, qui mulierem flectere velit. Etiam post versum vicesimum sextum pentametrum addo, quo distichon suppleatur. Hoc pentametro id, quod antea universe affirmatur, ad Tiburtini casum refertur. Praeterea versus vicesimum quintum et sextum apte integro, quod Tandoi facere non conatur. Coniecturis igitur meis versus graphio scripti omni ex parte suppleantur. Certe, num hoc modo verba poetae ipsa in integrum restituantur, scire non possumus. Hae coniecturae autem eo se commendant, quod ita textus efficitur, cuius partes omnes inter se cohaereant.

Tiburtini versus elegia existimandi sunt

Sex versibus, a quibus textus incipit, Tiburtini versus ex epigrammatis ortos esse ostenditur. Hi sunt de flamma amoris, quae in flammam corpoream mutari potest. Etiam in epigrammate quodam Valerii Aeditui (Mo. 2), qui circa annum centesimum a. Chr. natum vixit, haec res tractatur. Ibi enim ignis Veneris, qui opprimi non potest, faculae opponitur, quam vis saeva venti exstinguere valet. Additur epigramma Porcii Licini, aequalis Aeditui, ubi custodes ovium dicuntur ignem sibi comparare posse ab homine, qui ignis est, scilicet a poeta, qui amore ardet et hac flamma amoris omnes res corporeas incendere potest (Mo. 6).

Iam dixi mea quidem sententia Tiburtini versus non in serie epigrammatum consistere. Quod si ita est, hos versus elegiam efficere putandum est. Atqui elegia coniecturis meis constituitur. Ergo coniecturae meae ad poetae verba ipsa vel certe ad sensum eius verborum prope accedere possunt.

Praeter iam dicta id his quoque argumentis firmatur. Versu decimo solum unum verbum *huc* et in fine sola littera *t* leguntur. Sed eo tamen patet poetam ad portam amatae, de qua versus antecedentes agunt, rediisse hoc videlicet consilio, ut tandem in domum mulieris intraret. Huius autem rei coniectura mea rationem habui. Incertior est coniectura versu undecimo, ubi solae litterae *n* et *ap* restant. Littera *n* pars pronominis *hanc* fortasse est. Post litterae *ap* initium verbi *appellavi* esse possunt. Poetam enim mulierem tunc appellavisse veri simile est. Versu duodecimo *sumat aut ea va* leguntur. Initium verbi ante *sumat* litteras *as* efficere facile credendum, quia assumere idem atque accipere significat. Tiburtinus certe mulierem oravit, ut se acciperet. Litteras *va* initium adiectivi *vana*, id est mendax, esse existimavi. E versibus sequentibus patet amatam poetam reppulisse. Quod igitur promiserat, fortasse, ut est meretrix, non servavit. Versu decimo tertio verba *sumpti opus est* leguntur. Propterea, cum meretri-

ces quasi semper avarae sint, initio *magni nobis* et in fine *aliquando ut amem illam* supplavi. Quin poeta cum muliere cubare voluerit, non dubitari potest. Versu decimo quarto sub *udam* et *udae* quid nisi verba *nudam* et *nudae* latent? Amantes enim cum nudas amatas aspiciunt, summa voluptate afficiuntur. Versu undevicesimo post verba *flos Veneris, mihi de*, quae restant, *s facilem te in mea vota* explevi. Allocutione enim *flos Veneris* Tibertinus mulieri blanditur. Cur id facere debuit, nisi animum eius flectere volebat?

Versibus vicesimo et vicesimo primo nonnulla verba a Tandoi proposita mutavi, sed sensum eorum servavi.

Cur versibus vicesimo altero et tertio Tiburtinus mulierem edere, bibere, ludere vult, nisi ut amore secum fruatur et delicias vitae secum carpat? In hanc sententiam enuntiata integravi.

Versus vicesimum quintum et sextum, quorum initia tantum restant, ita supplavi, ut sensus eorum apte continuaretur. Divites enim multa pecunia amatas facile flectere possunt. Contra, qui ignorant, quid pecunia apud meretrices valeat, hi crudeliter ab illis tractantur, id est, ut scripsi, poenas dant.

Etiam aliis fortasse coniecturis ac meis elegia e textu constitui potest, sed usque ad hoc tempus tales coniecturas nemo proposuit. Propterea de utilitate et probabilitate earum agere inane est.

Tiburtini elegia quo tempore scripta sit, non exacte scimus. Certe non ante aetatem Sullanam circa annum octogesimum, quando Odeum Pompeis exstructum est, in cuius pariete versus nostri graphio scripti sunt. Illo fere tempore, id est circa Sullae mortis annum, qui anno duodeoctogesimo e vita cessit, Tiburtinus versus suos scripsisse videtur, quia, ut iam diximus, elegia eius ab epigrammatis Valerii Aeditui et Porcii Licini circa annum centesimum compositis pendet. Non multo post Tiburtinum elegiam pepigisse putandum est. Is igitur in numero eorum poetarum ducendus est, qui poetas novos appellatos, ut Catullum eiusque sodales, antecesserunt et praeneoterici dicuntur. Ut id putemus, etiam elisio litterae finalis *s* consideranda est. Tandoi enim animadvertit (p. 129) hanc elisionem, quae pluries apud Tiburtinum invenitur¹², a poetis novis non iam admissam esse. Vir doctus etiam adnotat hiatum in arsi et voce unius syllabae positum, quo Tiburtinus versu decimo septimo scribens *te hominem* utitur, a Catullo alienum esse et verba largificandi (2) et tabificandi (4) in litteris aetatis classicae, quae dicitur, non inveniri. Eduardus Courtney in opere *The Fragmentary Latin Poets*, Oxonii anno 1993^o edito (p. 81), addit verba composita, quae syllabis *-fico* desinunt, et in sermone vetusto et classico non apparere. P. Cugusi autem in libro *Aspetti letterari dei Carmina Latina Epigraphica*, Bononiae anno 1985^o edito (p. 37), Tiburtinum aetati poetarum novorum attribuit contendens elisionem litterae *s* finalis etiam tempore Ciceronis et a Cicerone ipso in *Arateis* usurpari. Sed si Catullus eam non iam admisit, vix Tiburtinus id fecit, praeser-

12 Cf. v. 2 *largificati(s)*, v. 25 *opu(s) sunt*.

tim cum Cicero adnotet hanc elisionem iam subrusticam videri, olim autem politioem (*Orator* 161).

His dictis sequitur, ut Tiburtini elegia prima elegia Latina sit, quam novimus. Catullus enim elegias suas postea annis undesexagesimo vel duodesexagesimo composuit et Cornelius Gallus post Catullum circa annum quadragesimum quattuor elegiarum libros, *Amores* appellatos, scripsit.

Si Tiburtini versus non e pluribus epigrammatis constare, sed unam elegiam esse credimus, pluries in ea transitus repentinos fieri nobis concedendum est. Ita poeta improviso versu septimo ad noctes a se ante portam amatae actas transit. Sed hic transitus facile comprehenditur, quia iam antea translate sub figura ignis et flammae de amore suo locutus est. Versu decimo tertio repente poeta queritur, quod divites soli meretrices ad amandum paratas habent. Antea autem non dixit amatam se denuo reiecisisse, sed id factum esse colligi potest. Versu decimo quinto poeta improviso statuit Eumam se pecunia adiuvari non posse. Putandum igitur est eum auxilium a faeneratore petere voluisse. Versu duodevicesimo repente Tiburtinus amatam orat, quasi adsit, ut sui commiserescat. Antea autem absens esse videbatur. Versu vicesimo poeta eam vocativo *Caesia* alloquitur exhortans, ut secum amore fruatur. Tum autem mulier denuo adesse non videtur. Versibus enim vicesimo quarto et sequentibus poeta iterum universe de avaritia puellarum queritur. Propterea conicere debemus preces eius praecedentes amatam non audivisse. Omnes hi transitus, quibus Tiburtinus *saltuatim scribendo*¹³, ut ita dicam, procedit, minime impediunt, quin elegiam scripserit. Iam diu enim viri docti, imprimis A. La Penna¹⁴, H. Tränkle¹⁵, G. Luck¹⁶, ostenderunt etiam Propertium transitu eodem vel simili saepe usum esse. Is quoque facta omittere solet, quae e contextu sententiarum colligenda sunt. Is quoque Cynthiam re absentem crebro alloquitur¹⁷. His igitur rebus consideratis Tiburtinum primam elegiam Latinam nobis notam composuisse censemus¹⁸.

Postscriptum

Ut supra diximus, Buecheler versum vicesimum quartum restituit scribens *Solus amare v[ale]t, qui scit dare multa puellae*. Verbum autem sciendi ad hunc lo-

13 Cf. Sisennam apud Gellium 12,15,2.

14 *Properzio* (Firenze 1951) 30; idem, *L'integrazione difficile. Un profilo di Properzio* (Torino 1977) 53.

15 *Die Sprachkunst des Properz und die Tradition der lateinischen Dichtersprache* (Wiesbaden 1960) 96–99 et 103–104.

16 *Die römische Liebeselegie* (Heidelberg 1961) 120.

17 Exempli gratia 1,17,5 et 9.

18 Etiam Tandoi agnovit (op. cit. 168–169) Tiburtini versus inter se cohaerere, cum omnes ad familiaritatem spectarent, quae poetae amanti cum muliere quadam intercessisset. Itaque versus nostros elegias paravisse amatorias postea apud Romanos ortas recte affirmavit. Sed eos ipsos iam elegiam esse contendere vir doctissimus nondum ausus est.

cum aptum esse non videtur, quia pecuniam puellae dare non est res, quae sciri debet, quae scientia quadam indiget. Propterea suadeo, ut versus ita legatur *Solus amare v[ale]t, qui multa potest dare amatae.*

Litteras, quaeso, mitte ad:
Prof. Dr. Godo Lieberg
Cranachstrasse 14a
DE-44975 Bochum